

Or. XXV. Titulum qui traditur *δήμου καταλύσεως ἀπολογία* falsum esse apparet. Immo civis quidam, qui muneribus publicis egregie functus sub trigintaviris quamquam in urbe remanebat a republica abstinerat, postquam libera republica restituta magistratum petivit (§§ 3. 10. 14. 23), ab adversariis, cum *δοκιμασίαν* quae vocatur subiret, accusatus se defendit hac oratione, qua civium concordiam maxime conservandam esse demonstrat. Habita videtur circa annum 400 a. Chr., cum Eleusis ab Atheniensibus capta esset (§§ 9. 35).

Or. XXVI. Oratio, cuius exordium interiit, apud senatum habita est in Evandrum, qui archon designatus *δοκιμασίαν* subibat. Atque munere indignus esse dicitur, quod sub trigintavirorum imperio cives quosdam supplicio affecisset. Sed defensor ei extitit Thrasybulus Colyttensis. Habitam esse orationem anno 382 probabilis Hoelscheri coniectura est, quoniam Ol. IC 3 Evandrum Athenis archontem fuisse comperimus. Seorsum cum apparatu critico edidit P. R. Müller Progr. Merseburg 1873.

Or. XXVII. Epicrates (*ὁ σακεσφόρος* cf. Bergk rel. com. Att. 389) hac oratione, cuius peroratio sola aetatem tulit, *παραπροσβείας* accusatur, si § 0 primae fides habenda est (cf. Jahrb. f. Phil. CXVII 554). Quae ratio plerisque displicuit, quod ab reliquo quod habemus fragmento legationis memoria abest (Falk Reden des Lys. 305, Blass Att. Ber. I² 453, Schoell quaest. fisc. 17, Hentschel quaest. de Lys. or. Epicratea 14). Qui viri docti ex § 0 3 Epicratem munere quodam Athenis functum *δώρων* et *κλοπῆς δημοσίων χρημάτων* reum factum esse concludunt. Ex § 9 sq. effeceris rem ad bellum Corinthium referri. Atque cum ex Philochoro ap. Didym. VII 20 Epicratem anno 392/1 absentem condemnatum esse edocti simus, haec causa paullo ante locum habuisse putanda est cf. Stähelin Klio V 56. Nam quod E Meyer, Theopomp. 54 A. 1 orationem Lysiacam ad illam ipsam causam rettulit, verum non videtur, quoniam § 8 sq. Epicratem hic praesentem apud heliastas causam dixisse demonstrant, illic Demosth. XIX 276 populiscito damnatum esse testatur.

Or. XXVIII. Ergocles anno 390 cum Thrasybulo Stiriensi